

# M E L I S S A

## EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02/ 734 55 42



## QUID LATINI IN SCANDINAVIA

Ante paucas septimanas mihi licuit iter in Scandinaviam facere, praecipue in Finnam, ubi lautissime fraterneque ab amicis nostris Latinis receptus sum. Thomas Pekkanen imprimis mirabilia urbis capitae Finniae mihi monstravit, inter quae universitas Helsinkiensis, ubi ipse litteras Latinas didicit atque eius iuvenis uxor in facultate theologica linguam Latinam docet. Cathedra litterarum Latinarum ibi maxime florebat, tempore quo Thomas Pekkanen alumnus erat, cum tunc professores strenuissimi essent et lingua Latina perfecte uti scirent. Postea una cum Thoma Pekkanen trecenta chiliometra ad septentriones emensus sum usque Granivicum (v. Jyväskylä), ubi ipse litteras Latinas docet. Eius collegae, Teivas Oksala et Ericus Palmen, nos in universitate exspectabant, quam statim perlustravimus, Latine ducente Teiva Oksala. Eius pater fuit primus rector huius recentis universitatis. Aedificiorum architectus fuit famosus Alvarus Aalto, cui prope universitatem dedicatum est museum. Amicorum Finnorum ubique humanitate hospitalitateque fruitus sum. Etiam a Teiva Oksala cum nonnullis eius amicis invitatus sum in villam quam possidet in regione semota et silvestri ad ripam cuiusdam lacus (sunt in Finnia plus quam sexaginta milia lacuum). Inter invitatos erat Tarmo Kunnas, qui litteras Europaeas comparandas in universitate Granivicensi docet. Eum Bruxellis semel iam conveneram paulo ante iter Finnicum, cum missus esset Bruxellas apud Communitatem Oeconomicam Europaeam atque Strateburgum apud Consilium Europaeum, cuius Finnia mox fiet plena particeps. Tarmo Kunnas etiam ordinat dies festivos, quibus quotannis Gravinici celebrantur bellae artes. Hoc anno habebantur a die 27<sup>o</sup> m. Iunii in diem 7<sup>um</sup> m. Iulii sub titulo "Abite Tabu" (i.e. sacra). Unum ex thematibus erat "De eroticis apud antiquos", de quo disputare debebant philologi classici et psychiatri. Tarmo Kunnas iam cogitat de proximi anni diebus festis atque in mente agit quoddam seminarium Latinum hac occasione habendum, cuius thema sit "Linguae Latinae momentum in Europa". Finni certe amant et colunt suam singularitatem Finnicam, sed supra eam pleni sunt participes cultus civilis totius Europae. Valde miratus sum multitudinem inscriptionum Latinarum in monumentis publicis, etiam in eis qui post annum 1809<sup>um</sup>, quo Finnia ex Suetorum in Russorum dicionem venit, etiam in recentioribus monumentis. Imago, qua illustratur haec pagina, excerpta est a libello, quem conscripsit Hannu Laaksonen et c.t. "De Inscriptionibus Latinis Aboensibus". Ille vir, historiae cathedrae assistens, mihi peramabiliter mirabilia urbis Aboae (Finnice Turku) demonstravit, rogante Teiva Oksala.

In Suetia quoque multitudinem inscriptionum Latinarum in monumentis publicis et in sepulturis miratus sum. Valde etiam gavisus sum quod mihi licuit, intercedente Thoma Pekkanen, Professore Birgerum Bergh convenire, qui litteras Latinas in universitate Lundensem docet. Me perhumaniter in villam suam ad litus invitavit. Facile Latine loquitur atque promissit Melissae lectores monere de condicionibus hodiernis parum prosperis institutionis Latinae in Suetia.

Ad concludendum dicam Scandinaviam etiam cultu Latino intime imbutam esse. Multi sunt in regionibus Romanicis Europae qui hoc ignorent. Expertus eis dicere velim, me multo plures homines convenisse qui bene Latine loqui sciunt extra regiones Romanicas quam intra.

Gaius LICOPPE

# NORMAE ORTHOTYPICAE LATINAE

*Ut legistis in superiore numero Melissae, Academia Latinitati inter omnes gentes Fovendae, post indagaciones complurium annorum, novas proponit normas universales quae ubique terrarum ad litteras Latinas imprimendas adhibeantur. Redactio definitiva huius textus modo confecta est; quam statim lectoribus infra proponimus.*

**Prof. Nicolaus Sallmann**, qui his normis parandis praefuit, hoc caput ad nos imprimendum misit quasi nuntium praecursorium decreti quod Academia Latinitati Fovendae Romana libello academica auctoritate praedito mox lingua Latina, Anglica, Francogallica, Italica, Hispanica, Germanica, Russica, Polonica publici iuris faciet.

## Praemonenda

Mirum est quod lingua Latina adhuc ratione scribendi et imprimendi certa et ubique probata caruit. Nam textus Latini plerumque ad consuetudinem patriae editorum linguae typis mandabantur. Discrimina inde orta videlicet oculos hominum Latinitatis peritorum aut omnino non aut vix offendebant, certe non perturbabant. Sed lectores minus imbuti, studentes quidem et discipuli, non sine suspicione animadvertere poterant eandem urbem et *Lanuuium* et *Lanuuium*, vel et *Veios* et *Vejos* scribi. Confusio animi augebatur varlo signorum usu et litteris capitalibus promiscue adhibitis: fueruntne *Christiani Latini* an *latini christiani*?

Certe constat Romanos antiquos ipsos neque minusculas litteras cognovisse neque interpunctionem constantem, ne orthographiam quidem indubitam. At non est cur lingua Latina non eodem iure ac ceterae linguae suam sibi propriam orthographiam et orthotypiam vindicet. Commercium editionum et librorum Latinorum, ut taceam de locis minoribus Latinis huc illuc insertis, inter gentes et nationes admodum crevit his temporibus et in posterum magis crescit. Systemata textuum conscribendorum electronica flagitant, ut ita dicam, normas legitimas rationis scribendi; systema emendatorium electronicum Latinum iam diu desideratum nunc demum potest constitui.

Typothesiae, stenotypistriae, programmatores et programmatrices, quibus textus Latini plus minusve frequenter occurrunt, iure petunt leges scribendi et imprimendi communes et apud omnes populos ratas.

Hoc libello talium legum corpus proponitur ab Academia internationali Latinitati Fovendae anno 1988° unanimiter probatum; quae leges commendantur editoribus, bibliopolis, libellorum scholasticorum auctoribus nec non iis qui ex officio curant ut textus Latini constituentur et imprimantur. Attamen noli exspectare rationem orthographiae Latinae prorsus novam et inauditam: haec ipsa praefatio quam legis regulas commendatas respicit. Re vera leges infra exhibitae usum suetum sequuntur, etsi interdum necesse fuerit ab usitata consuetudine quarundam gentium propria hic illic recedere. Ut afferamus exemplum: litterae u et v perspicuitatis causa distinguuntur, quamvis in Francogallia, nuperrime etiam in Britannia aliisque nationibus distinctio illa non iam retineatur. Virgularum usus, ut alio exemplo utar, qui ingens esse solet apud Germanos et Slavos, revocatur ad rationem magis rhetoricam, quae nihilominus grammaticam respicit. Ecce iam habes res maioris momenti. Proinde scriptura Latina habebit propriam suam speciem ab aliis linguis diversam, sed ita ut a normis orthographicis hodiernarum linguarum non funditus abhorreat.

Leges infra propositae primum spectant ad perspicuitatem enuntiatorum, deinde ad facilitatem legendi, ut sententiae Latinae quam commodissime enodari possint. Admunicula sic oblata cum non omnibus gentibus aequabiliter familiaria videantur, una cum lingua Latina discantur, haud secus atque in aliis linguis discendis fieri solet. Quatenus leges spectant ad orthographiam verborum, sumptae sunt ex grammaticorum Latinorum scriptis, firmatae sunt virorum doctissimorum studiis. Afferro

STOLZ-SCHMALZ, Lateinische Grammatik. Laut- und Formenlehre, Syntax und Stilistik, 5. Auflage von Manu Leumann und Johann Baptist Hofmann, München 1928 (reimpressum 1977)

MAX NIEDERMANN, Précis de phonétique historique du latin, 4. éd., Paris 1985.

CLETVS PAVANETTO, Elementa linguae et grammaticae Latinae, ed. altera, Romae 1987.

Difficillime invenitur ratio interpungendi, quippe cum in libris manu scriptis et in inscriptionibus inchoamenta tantum vaga talium signorum occurrant, nondum regulae perspicuae. Propterea natura vel ingenium sermonis Latini peculiare Latine loquentibus et legentibus plus minusve innotescens maioris momenti esse videbatur quam ratio absoluta et grammaticalis a Germanis e.g. adhibita. Concedendum quidem est linguas Romanicas et linguam Anglicam propiores esse linguae Latinae quam ceteras; sed cave credas nos usum signorum Francogallicum vel Italicum prorsus in Latinitatem transtulisse. Media via proponitur ita ut virgula parcius adhibeatur quam in omnibus fere linguis hodiernis.

Non opus est commemorare editores textuum antiquorum vel mediaevalium in textu constituendo auctoribus Latinis ipsis librisque manu scriptis obligatos esse. Hac in re scilicet a legibus orthographicis communibus liberi sunt et esse debent. Tamen satis magna pars generalis ut ita dicam restabit in textibus, cuius forma non ad libitum et arbitrium est scribenda. Quod attinet ad textus neolatinos, hoc corpus legum formam orthotypicam certam praebet simulque pollicetur libros hoc modo impressos inter varias nationes facilius accipi et legi posse. Quantum hae leges respicientur, tantum cognoscetur utrum lingua Latina emortua neque propriis qualitatibus digna habeatur an potius lingua semper inter eruditos homines viva et sua auctoritate fruens ut una ex magno coetu linguarum.

## Leges orthotypicae

### 1. De verbis

- 1.1 Verborum Latinorum rationes scribendi eorumque formae satis clare in lexicis et grammaticis scientificis definiuntur.

Libri adhibendi:

THESAURVS LINGVAE LATINAE, editus auctoritate et consilio quinque Academiarum etc., Lipsiae (Teubner) 1904 sqq.

TOTIVS LATINITATIS LEXICON Aegidii Forcellini, emendatum a Iosepho Furlanetto, amplissime auctum et emendatum a Vincentio De Vit. Prati (Aldina) 1858 sqq. (VI volumina)

OXFORD LATIN DICTIONARY. Oxford (Clarendon) 1968 sqq.

Proprietates quorundam auctorum, imprimis praeclassicorum et antiquitatis serae necnon mediae, humanisticae, barocae aetatis, respiciendae sunt.

- 1.2 Formae nominum hodiernorum locorum geographicorum (urbium, vicorum, terrarum, regionum, fluminum, montium, lacuum, marium etc.) Latinae in onomasticis inveniuntur.

Libri adhibendi:

C. EGGER, Lexicon nominum locorum, Libreria Vaticana 1977.

GRAESSE-BENEDICT-PLECHL, Orbis Latinus, 3 voll., Braunschweig 1972; editio manualis IV editionis 1971.

P.C.E. DESCHAMPS, Dictionnaire de géographie ancienne et moderne, Paris 1870; reimpressum 1965.

N.B.: ne fiant aenigmata, e variis formis Latinis eligantur eae quae habent aliquam similitudinem cum nominibus hodiernis, praesertim si textus spectet ad usum publicum (e.g. in documentis honorificis); attamen ratio temporum historica respicienda est.

- 1.3 Nomina hominum recentiorum aetatum, nisi forte iam habent speciem Latinam (ut *Erasmus*, *Mylius*, *Cossiga*), non immutantur; sed litterae nullae nisi Latinae (vd. 2.1) adhibeantur (ergo *oe*, non *ō* vel *ø*). Si opus est scripturas peregrinas (e.g. Graecam vel Russicam vel Sericam) transformare, secundum praecepta illarum nationum procedatur.

Praenomina Europaeorum hominum plerumque facile ad formam Latinam rediguntur aut reducuntur; cum nomine gentili conjuncta praenomina indicant casum:

*Ioanem Baptistam Pighi* (non: *Pigium*)

*Villelmo Shakespeare* (non: *Shakespeareio* vel sim.)

Liber adhibendus:

C. EGGER, Lexicon nominum virorum et mulierum, Libreria Vaticana, ed. altera Romae 1963.

- 1.4 Verba Latina in finibus versuum hoc modo separantur:

- 1.4.1 - Verba composita in commissuris compositionis ratione etymologica separantur:

*abs-traho, prae-scribo, ex-itus, ad-eo, quot-annis*

N.B.: Verba originis obscurae vel nomina propria Graeca ad legem 4.2 separare licet:

*A-ris-tar-chus* (*A-ris-tar-chus*), *Cy-clops* (*Cycl-ops*),

*Chry-sippus* (*Chrys-ippus*), sed: *ec-cle-sia*

- 1.4.2 - Verba simplicia inter syllabas separantur, nempe

- 1.4.2.1 - si ibi est una consonans, ea ad syllabam insequentem trahitur:

*tra-ho, scri-bo, Ma-ius, hu-tus, vo-lu-t*

- 1.4.2.2 - si ibi duae sunt consonantes, inter eas separatur:

*vol-vi, tem-pus, vtri-dex, stag-num,*

*pis-cis, ip-se, quaes-tor, for-tas-se*

- 1.4.2.3 - consonans muta cum liquida (vel L vel R) non separatur, sed utraque pertinet ad syllabam insequentem (nisi forte divelluntur commissura compositoria ad legem 1.4.1):

*du-plum, pu-bli-cus, sa-crum, a-gro-rum*

sed: *ob-litro*

- 1.4.2.4 - si tres vel quattuor consonantes apparent, post secundam separatur nisi obstant leges 1.4.1 aut 1.4.2.3:

*unc-tus, sump-si, mulc-tra, cas-tra, trans-trum*

N.B.: *qu-* semper pro una consonante habetur:

*ae-quus, a-li-quis*  
*gu-* praecedente *n* pro una consonante habetur:  
*an-guis, lan-gui-dus*  
*su-* ante vocalem eiusdem syllabae pro una consonante habetur:  
*per-sua-deo, sua-vis, Sue-bi; sed: su-us, su-es*  
*th, ph, ch, ps* (litterae Graecae) unam consonantem significant:  
*A-the-nae, A-cha-e-i, Del-phi, Ca-ly-pso*

## 2. De litteris

2.1 Alphabetum Latinum exhibet has XXIII litteras:  
*ABC DEF GHI KLM NOP QRS TVX YZ*

- 2.1.1 - *K* littera paene obsoleta non adhibetur nisi in verbis quibusdam specialibus: *Kalendae; K. (= Caeso)*  
 2.1.2 - *J* littera non exstat.  
 2.1.3 - *I* littera in eadem syllaba non duplicatur: *reicio, obiectum; sed: diiudico, in feris*  
 2.1.4 - *V* littera et vocalem et semivocalem significat si capitales litterae scribuntur: *DIVVS AVGVSTVS, VVLTEIVS*  
 2.1.5 - *u* et *v* litterae in scriptura minuscula dinoscuntur ne conflentur e.g. *conservi* et *conserui, volui* et *volvi*  
 2.1.6 - *s* littera post littera *x* ne elidatur (propter separationem magis habilem): *exsisto, exsto, exsuperare; sed: Exuperantius.*  
 In verbis separatis *s* semper scribendum est: *ex-spectare, ex-silium*  
 2.1.7 - *s* littera finalis praefixorum ante *s* sequentem eliditur: *transcendo (tran-scendo), transilio (tran-silio)*

2.2 Capitales litterae ponuntur

- 2.2.1 - in nominibus propriis hominum, deorum, stellarum, locorum geographicorum etc. et in eorum derivatis declinabilibus:  
*Epicurus, Epicurei, Aristotelici, Christiani, Graeci; sed: graecissare (inde: graecissatio), stoici, peripatetici, academici, neolatin*  
 2.2.2 - in initiis capitum et singulorum enuntiatorum.

N.B.: In carminibus secundum versus dispositis capitales in initiis uniuscuiusque versus conceduntur. In textibus antiquis solutae orationis initia enuntiatorum minusculis litteris scripta ut ratio extraordinaria conceduntur.

Post punctum duplex (:) littera minuscula sequitur (nisi obstat lex 2.2.1 aut incipit caput novum):

*Attendite: sapiens adest.*

Oratio recta capitali littera incipit, minuscula post intermissionem progreditur:

*Tum Maternus sic exorsus est: "Audite, amici," inquit, "quid dicam."*

- 2.2.3 - in nominibus mensium et feriarum:  
*Ianuarius, October, Quinquatrus, Pascha, Natalis*

2.3 Litterae numerales sunt hae:

*I* (1), *V* (5), *X* (10), *L* (50), *C* (100), *D* (500), *M* (1000),  $\overline{I}$  (milies),  $\overline{L}$  (decies milies), ergo  $\overline{V}$  = 5000,  $\overline{M}$  = 10.000.000

2.3.1 Signis numeralibus arabicis uti non licet nisi in textibus non antiquis; in textibus neolatinis usus numerorum arabicorum vel commendatur, si numeri maiores occurrunt.

2.3.2 Numeri ordinales sicut cardinales ceterique nudis capitalibus vel capitalibus parvis scribuntur:

*V* (quinti), non *V<sup>i</sup>* vel *V<sup>o</sup>*; *IC* (vel: *XCIX*) = undecentesimus, a, um etc.

*M. Manilio III consule (= tertium consule)*

*a.d. V Kal. Ian.* (= ante diem quintum Kalendas Ianuarias, i.e. 28. XII)

N.B.: Dies datus in textibus neolatinis, e.g. litteris, aut antiquo (vd. supra) aut novo more exprimitur: *d. XXVIII m. Dec. (28. XII).*

## 3. De signis

3.1 Exstant, ut in plerisque linguis Europaeis, signa haec: punctum (.), virgula (,), virgula punctata (;), punctum duplex (:), signa exclamationis (!), interrogationis (?), citationis ("..."), linea parenthetica (-).

3.2 Quae signa haud secus atque in linguis hodiernis ponuntur; de virgula leges sequentes observentur:

3.3 Virgula in textibus Latinis rarius adhibetur quam in plerisque hodiernis linguis. Significat minimam

pausam rhetoricam ad modum structurae grammaticalis. Ponitur

- 3.3.1 - in enumerationibus asyndeticis:  
*Ecce populi, gentes, nationes, vulgus omnis generis.*
- 3.3.2 - in parataxis adversativis et asyndeticis:  
*non solum, sed etiam; non ego, immo tu*  
*Veni, vidi, vici. Sed: fac venias ! (hypotaxis)*
- 3.3.3 - ante et post appositiones:  
*Hannibal, dux Poenorum, venerat...*
- 3.3.4 - ante et post enuntiata hypotactica in locum appositionis inserta:  
*Hannibal, qui erat dux Poenorum, demum devictus est.*  
*Hannibal, cum esset dux Poenorum, demum devictus est.*

N.B.: Attributa praepositionalia et participialia non sunt appositiones ideoque virgulis carent:

*Hannibal post multas victorias demum devictus est.*  
*Hannibal fortissime pugnans demum devictus est.*  
*Hannibal victoriis celeberrimis partis demum devictus est.*

- 3.3.5 - post periodos hypotacticas antecedentes:  
*Qui adest, sumat.*  
*Si pluit, madet terra.*  
*Caesar postquam rem cognovit, aciem instituit.*

N.B.: Periodi igitur hypotacticae postpositae virgulis carent (nisi obstat lex 3.3.4 aut 3.3.6); quod praecipue spectat ad periodos pro subiecto aut obiecto positas et ad eas quae pronomine demonstrativo antecedenti indicantur:

*Semper fit quod deus vult.*  
*Hoc unum in Alexandro vitupero quod tracundus fuit.*  
*Bene accidit quod eum nusquam vidisti.*  
*Fieri potest ut numquam redeat.*  
*Quis est tam demens ut sua voluntate maereat?*  
*Rogabat ut quam celerrime veniret.*  
*Non is sum qui difficultatibus deterrear.*  
*Iucunde vivi non potest nisi cum virtute vivitur.*

- 3.3.6 - ante et post periodos hypotacticas insertas:  
*Caesar, priusquam Orgetorix veniret, colles occupavit.*  
*Pyrrhus captivos Romanis, si pacem secum facere vellent, nullo pretio redditurum se dixit.*
- 3.3.7 - Periodi relativae quae sunt pro substantivo vel participio virgulis carent:  
*Quae e terra prodeunt (= τὰ φῦτα) curamus.*  
*Non omnia quae sunt (= τὰ ὄντα) cernuntur.*
- 3.3.8 - Coniunctiones nullis verbis intermissis iuxtapositae perspicuitatis causa virgulis separentur:  
*Chrysippus eam causam necessariam concedit ut, si omnia fato fiant, omnia causis fiant antecedentibus.*
- 3.3.9 - Ceterum si verborum relationes aliter non exprimuntur, virgula adiutoria uti licet:  
*De hac re nihil se scire confessus est, ratus neminem id scire. (Ne coniunxeris: est ratus)*
- 3.4 Oratio recta signis citationis incipit et desinit:  
*Tum Atticus: "Quod me movet," inquit, "est res gravis."*
- 3.5 Lineae parentheticae aperiunt et claudunt enuntiata autonoma inserta:  
*Leges - quod di bene vortant - observentur.*  
*Has paginas - nisi forte molestum est - diligenter perlege !*
- 3.6 Signa vocalium vel syllabarum quantitates indicantia necnon accentus metrici in textibus didacticis admittuntur, quamquam non pertinent ad orthographiam legitimam.
- 3.7 In editionibus tremate vel diaeresi (¨) uti licet:  
*aere - aëre; Callimachi aetia - Aëtius Amidensis*


\*\*\*\*\*



### *De percutanea transluminali angioplastica*

In Melissae fasciculo 22°, amicus noster Hispanus, Eustastus Sanchez Villaran, medicus cardiologusque, de angioplasticis, quas in nosocomio Matritensi efficit, optime rettulit. Quare aliquid etiam referam de huius technicae statu in Belgica.

tientes sectionem chirurgicam vitare possunt. In arteriis tamen, quae sanguinem ad cerebrum ducunt, non licet hanc technicam adhibere; nam, timendum est ne cholesteroi crystalli evellantur atque immitantur in terminales arterias cerebri.



*Coartata arteria renalis dextra*

Sed imprimis nonnulla narrabo de angioplasticae initiis:


- Die 16° m. Ian. a° 1964°, duo medici, Carolus DOTTER et Malvinus JUDKINS, primam percutaneam transluminalem angioplasticam effecerunt in muliere 82 annos nata, quae habebat arteriae iliacae occlusionem sed nolebat sectionem chirurgicam subire. Ad hanc dilatationem faciendam adhibuerunt duo catheteres coaxiales. Quamquam res bene successit, plerique medici hanc methodum respuebant. Per multos annos pauci tantum rem experiri perrepererunt.

- Anno 1973°, PORTSMAN primus adhibuit catheterem folliculo inflabili instructum ad arterias iliacas coartatas dilatandas. Eius catheter unum tantum lumen axiale habebat.

- Anno 1974° GRUNTZIG et HOFF catheterem duplici lumine axali perforatum adhibent. A quo tempore angioplasticae frequentiores fiunt atque etiam usurpantur ad diversas arterias dilatandas (velut renales).

- Anno 1977°, Andreas GRUNTZIG, Turici (Zurich), primam angioplasticam arteriae coronariae efficit.

Hodie angioplastica facta est technica probata atque in multis nosocomiis usitata, ita ut multi pa-



*Catheter folliculo inflabili instructus*

Nunc temporis sunt qui endoprotheses metallicas experiantur; sunt etiam qui cogitent de endoscopia arteriali. Sed plura narrabo de alia re nova, quae in paucis tantum nosocomiis iam adhibetur: agitur de luce LASERICA, qua efficit potest ut arteriae occlusae sanguinis circulationi iterum pateant. Fibra optica per catheteris lumen introducit usque ad arteriae obstaculum. Quae fibra optica ducit lucem LASERICAM in obstaculum; energia lucis obstaculo cohibita in tantum calorem mutatur, ut obstaculum evaporetur. Sunt tamen hac in re pericula; imprimis, vix temperari potest huius lucis energia; praeterea, si lucis radii non stricte diriguntur secundum arteriae axem, timendum est ne ipsa arteriae paries perforetur. Ad quod periculum vitandum duo complementa iam proposita sunt: sive lenticulam in extrema fibra optica imponere ad lucem cogendam sive operimentum metallicum in extrema fibra imponere, quod luce LASERICA ad temperaturam 400 Celsii graduum calefit; qui effectus thermicus accuratius dirigi potest secundum arteriae axem, unde fit ut obstaculum atheromatousum evaporetur, sine nimio periculo arteriae parietem perforandi. Post obstaculum perforatum, arteriae dilatatio perficitur solito folliculo.

Haec LASERica methodus iam circiter unum annum adhibita est in nosocomio Universitatis Liberae Bruxellensis, cui nomen ERASMUS. Mihi gratum est lectoribus proponere sequentem versionem Latinam communicationis, quam modo fecerunt radiologi huius nosocomii.

G. LICOPPE.

### De angioplastica transluminali ope LASERi effecta

G. VANDENBOSCH, C. DELCOUR, Y. VAN BUNNEN, J. STRUYVEN Servitii Radiologiae; J.C. WAUTRECHT, J.P. DEREUME Servitii Pathologiae Vascularis in Erasmi nosocomio Bruxellensi.

Iam multos annos arteriarum stricturae etiam artae curantur angioplastica percutanea solita. Sed in arteriarum segmentis omnino oclusis thrombus difficile perforari potest catheteris ductorio, cum saepe thrombus sit calcificatus. Non ita pridem hi thrombi permeari possunt ope LASERi.

Exhibemus seriem quindecim patientium, quorum decem habebant occlusionem arteriae femoro-popliteae, quattuor arteriae iliacaе, unus arteriae

subclaviae. In his quindecim patientibus prima curatione tentatum est arteriam iterum aperire ope fibrae opticae, cuius extremitas terminatur operimento metallico 1,5 vel 2 millimetra lato (Hot Tip Trimedynе Inc). Fons LASERicus est gasum argonicum; potentia decem circiter vattiorum applicatur modo continuo per circiter quindecim secundas; inde oritur energia, qua operimentum metallicum ad temperaturam 400 Celsius graduum calefit. Quo thermico effectu locali obstaculum atheromatousum evaporatur atque fibra optica perforatur. Per exiguam viam sic factam catheteris ductorium propelli potest ita ut arteriae expansio perfici possit solita methodo. In novem occlusionibus arteriae femoro-popliteae (90%), in duobus occlusionibus arteriae iliacaе (50%) lumen arteriae iterum patuit; arteriam subclaviam aperire non valuimus. Nulla implicatio notanda fuit praeter emboliam distalem traducto ductorio solutam, haematoma in loco percutaneaе punctiois, quod nisi sectione chirurgica deduci non potuit, atque perforatio arteriae subclaviae sine patientis detrimento.

Hac technica, qua effici potest ut arteriae iterum pateant, augetur numerus casuum, in quibus angioplastica transluminale adhiberi potest.

## De Caesarum vitreis Coloniae Agrippinae expositis

Nobis recenter licuit pulcherrimam expositionem Coloniae Agrippinae invisere ubi exhibentur "Caesarum vitrea". Quae in "Römisch-Germanisches Museum" usque ad diem 28<sup>um</sup> m. Augusti - omnibus diebus ab hora 10<sup>a</sup> ad horam 20<sup>am</sup> - habetur.

Haec uberrima collectio vitreorum tempore imperiali confectorum, a tribus museis (Corning Museum of Glass, British Museum et Römisch-Germanisches Museum) praebita, testis est evolutionis non solum artium technicarum ornamentorumque, sed etiam cultus civilis rerumque oeconomicarum.

Antiquissima ars vitreorum conficiendorum, cuius prima exempla circa annum 1500<sup>um</sup> aCn ef-

fecta sunt, operibus hic expositis ad fastigium pervenit: nam technica vitri flatu introducta est, unde fiunt maior varietas formarum, materia purior, opera celerius facta, minora pretia. Officinae erant toto in imperio, ut patet: nam vasa inventa sunt in Sahara Europaque septentrionali, in Russia Britanniaque.

Infra imaginem ostendimus e lautissimo catalogo excerptam; subscriptam explicationem in Latinum vertimus. Qua occasione data valde dolemus quod mos nunc est in Europaeis museis explicationes tantum lingua regionali praebere. Res vere Europaea sit versionem Latinam subiungere...



*Poculum ansatum viride, foliis caelatis ornatum, in sarcophago quodam inventum. Secunda parte III saeculi aCn vel I saeculo aCn confectum. Talia pocula temporibus hellenisticis iam inventebantur.*





## Laurenti Viscido poematia Latina

(Cfr Laurenti Viscido Poemata. Editio altera (Soveria Mannelli, Calabria letteraria editrice, 1987); X + 48 p. Libellus venum datur libellarum It. milibus VIII).

Cum Laurentio Viscido poeta Latino ante annos circiter quattuor consuetudinem iunxi. Quomodo eum cognoverim probe memini. In commentariis enim "Vita Latina" inscriptis carmina nonnulla divulgaverat ille, quorum mihi unum prae ceteris arriserat; ex eo igitur tempore nomen eius memoria custodiebam. Paucis post mensibus forte evenit ut nostrum uterque laudationi sese accingeret texendae cum Iosephus Tusiani poeta Neo-Eboracensis, quo familiariter utebar et ipse, annum sexagesimum esset completurus; scriptionem autem ille haud secus ac egomet "Humanisticis" nostris "Lovaniensibus" destinavit. Constitutum est ut ille lucubrationem perficeret, ego carminum Tusianeorum indicem subiungerem. Communi ergo amico fruebamus, quem pari cum studio colebamus. Postea heu accidit ut Tusianus et Viscidus vehementer inter se dissentirent; dissensionis autem causas explicare longum est et supervacaneum. Id utut se habuit, tunc quidem, edita commentatione, poetae eius, cuius carmen e memoria haud deposueram - inscribatur autem "Viator nocturnus", quos versus infra estis lecturi -, deprehendi inscriptionem cursualem. Nulla mora interposita ad ipsum litteras dedi plura percontatus; angebar essetne rescripturus; rescripsit quidem verbis benevolentissimis. Compluribus ergo ex epistulis comperi eum iuvenem esse, Cal. Ian. a<sup>o</sup> 1952<sup>o</sup> in urbe Scylaceo natum; studiorum in universitate Salernitana linguarum antiquarum doctorem esse renuntiatum; cum aliquantisper in Italia meridionali praeceptoris munere esset functus, penates in Americam Septentrionalem transtulisse, ut idem munus Novi Eboraci exsequeretur; bene esse uxortum auctumque fillola nomine Lucia. Ex epistularum commercio haec. Mox vero Laurentius pluribus parvulae litterarum neolatinarum reipublicae civibus innotuit famaue eius latius discurrit; nam in certaminibus Vaticano et Catulliano pluriens aut victoriam adeptus est aut victori proximus accessit; messem autem poeticam in dies uberiorem commentariis inseruerunt moderatores cum Americani (velut qui "The Classical Outlook" (Atheniensis) et "Hermeti Americano" (Bethellensis) praeerant), tum Europaei (multi igitur versus lucem viderunt in commentariis q.t. "Meander" (Polonus), "Latinitas" (Vaticana), "Euphrosyne" (Olisiponensis), "Rumor varius"

(Turicensis), "Vox Latina" (Saravipontana), "Vita Latina" (Aventionensis), "MAS" (Palensis)); denique de eo commentationes conscribi sunt coeptae.

Solent autem carmina seorsim edita oblivione cito obrui; qua re ille non sine causa optavit ut carmina colligerentur, collecta foras ederentur; quo igitur tempore libellum prelo parabat, me inter alios - nam in amicitiam Iosephi Morabito poetae praestantissimi erat receptus - versuum suorum iudice est usus: ego interdum proposui versum emendandum, ille raro assentiebatur, minime raro multis argumentis sententias meas iure refellit. Prior ergo editio anno 1987<sup>o</sup> prodit; altera eaque emendatior paucis post mensibus.

Una cum mihi sola pagina esset ad dicendum tributa, poematia longiora, quae in certaminibus sunt honestata, invitus praetermisi, breviora aliqua exscripsi; quae cum legeritis, cur vir ille magni sit faciendus, ipsi facile videbitis.

Theodericus SACRE Lovaniensis.

### Viator nocturnus

Siste o viator nocte deambulans  
 verna per oras aligero pede;  
 flabri susurrum lenis audi  
 somnia qui generosa gignit.

Blandi liquores conspice Nerei,  
 mire nitentes sub Triviae face;  
 gaude poli fulgore: forsitan  
 crastina erit sine nocte vita.

### Ad Luciam

Lucia, cui somnus properat devincere ocellos  
 gratas et nox gignere formas,  
 dormi: non licitum est patrem te cernere flentem  
 verberibus pro sortis atrocis;  
 contra permulcens faciem, mea gemmula, cantus  
 lenes opto effingere possis.  
 Ecce sereno iam tua membra sopore tenentur  
 laetitiae et mens lambitur auris.  
 Candida quam vultu mihi, suavis filla, pares!  
 O quanta pietate ego vincor!  
 Desisto lacrimis te dum perlustro tenellam  
 dulci et risu lumina laxo.

### Periculum ignis

Effrenum caveas, Donata, Cupidinis ignem,  
 pectus quippe licet mens in amore regat.



# DIDASCALICA

## De grammatica Latina in libris AD FONTES inscriptis exposita

His paginis, ut id, quod in fasciculo Melissae 20 (1987), p. 14-15, promisi, tandem praestem, de rationibus, quibus ars grammatica in serie Fennica librorum Latinorum AD FONTES inscriptorum exposita est, nonnulla disseram.

In illa commentatione scripsi auctores horum librorum imprimis antiquitatem Graecam et Romanam eiusque ad nostra tempora relationes illustrare voluisse atque arti grammaticae velut secundum locum reliquisse. Hoc tamen non ita intellegi oportet, ut grammaticam minoris, quam aequum sit, aestimemus. Sine dubio ea quoque diligenter comperienda est, dummodo ei ne tantum operae detur, ut adulescentes cum difficultatibus eius luctantes obliviscantur linguam non nisi pro instrumento habendam esse, quo homines res inter se communicant.

Grammatica igitur his libris non systematico ordine exponitur, sed prout singuli textus postulant, paullatim introducit. Omnia nova, simul atque exposita sunt, variis exemplis et exercitiis illustrantur.

Iam in pronuntiatu Latino tractando auctores demonstrare conati sunt linguam Latinam non omnibus temporibus et in omnibus terris eandem et immutatam fuisse, sed hodie quoque ita vivam esse, ut quasi in plures dialectos divisa sit. Primo quidem tomo, ut adulescentes studia ineuntes sermonem Latinum statim non solum oculis, sed etiam auribus percipere consuescant, normae quaedam pronuntiandi a Ciceroniana Latinitate haud multum recedentes dantur. Hae item phonocasetis observantur, quibus omnes textus - et principales et extensivi - mandati sunt. Tertio autem tomo discipuli, ut qui in studiis Latinis longius processerint, ad posteriorem Latinitatem transgressi certiores fiunt normas initio datas non ubique stricte sequendas esse; tum enim cognoscunt, quo modo pronuntiatu Italicus et Francogallicus et Germanicus ab antiquo Romano et inter se differant, ac quidnam ex singulis pronuntiandi modis porro in Latinitatem terrarum septentrionalium pervenerit. Haec quoque omnia phonocasetis illustrantur.

Pronuntiatu Latino tamen non multum temporis dedicari potest; nam

scholariorum, quorum perpauci de studiis Latinis in universitate continuandis cogitant, pluris interest alias res - ante omnia morphologiam et syntaxin - satis cognoscere.

Etiam in declinationibus substantivorum et adiectivorum atque coniugationibus verborum exponendis AD FONTES libri novam quandam rationem proferunt. Antea utraeque ita fere exponi solebant, ut systema morphologicum fundamenti loco haberetur: singularum declinationum et coniugationum paene universae formae simul in textum admittebantur, ut ex iis in animis discipulorum paullatim tamquam castellum quoddam morphologicum grammaticae Latinae aedificaretur. Tum vero res syntacticae parum notabantur. In nova ratione id imprimis proponitur, ut discipuli etiam iis, quae in syntaxi sunt potissima - usu principali singularum casuum temporumque etc. - satis exercentur.

Quo modo omnia supra dicta fiant, par est quibusdam exemplis ostendere. Prima quidem declinatio iam introductivo capitulo tota exponitur, ut discipulis appareat, quot formas normale substantivum Latinum habeat; sed reliquarum declinationum ex formis initio non nisi casus nominativus et accusativus fusius tractantur, ut pro subiecto et obiecto adhibiti in mentibus discipulorum penitus inhaerescant. Vide quaeso e.g. paginam 20 tomi primi, qua secunda declinatio hoc modo degustatur:

		1. dekl. fem.	2. dekl. mask.
Yks.	nom. akk.	PUELLA PUELLAM	AMĪCUS ystävä AMĪCUM ystävää
Mon.	nom. akk.	PUELLAE PUELLĀS	AMĪCĪ ystävät AMĪCŌS ystäviä

Yks.	nom. akk.	amicus Rōmānus amicum Rōmānum	roomalainen ystävä roomalaista ystävää
Mon.	nom. akk.	amicī Rōmānī amicōs Rōmānōs	roomalaiset ystävät roomalaisia ystäviä

ESIMERKKEJÄ	
Ecce mūrus antiquus! Mūrum antiquum spectāmus. In Italiā sunt multī mūrī antiquī. Peregrīni mūrōs antiquōs spectāre amant.	Kas tässä on antiikinaikainen muuri! Katselemme antiikinaikaista muuria. Italiassa on paljon antiikinaikaisia muureja. Ulkomaalaiset katselevat mielellään antiikinaikaisia muureja.

Paulo post (p. 27) item introducuntur nominativus et accusativus quartae declinationis, qui in singulari numero secundae declinationis formis similes sunt. Deinde declinationes tertia et quinta, quarum inter nominativos et accusativos non minor est similitudo, pariter in "scaenam" prodeunt (p. 32).

In pagina 35 repetitionis causa positus est hic conspectus declinationum, quo tantum nominativi et accusativi commemorantur:

		1. dekl.	2. dekl.	3. dekl.	4. dekl.	5. dekl.
Yks.	nom. akk.	PUELLA PUELLAM	AMĪCUS AMĪCUM	PICTOR PICTŌREM	CURRUS CURRUM	RĒS REM
Mon.	nom. akk.	PUELLAE PUELLĀS	AMĪCĪ AMĪCŌS	PICTŌRĒS PICTŌRĒS	CURRŪS CURRŪS	RĒS RĒS

Has igitur formas perscrutantes discipuli nondum genetivum nec dativum neque ablativum nisi primae declinationis neque omnino neutri generis vocabula cognoverunt. Haec omnia suo loco - partim in ultimis textibus primi cursus, partim in cursu secundo - ita introducuntur, ut syntaxis cum morphologia quam optime coniungatur.


De verborum paradigmatis pro exemplo sint perfectum et imperfectum activi indicativi, quorum omnes personae iam in primo tomo (p. 48 et 64-65) exponuntur. Comparatis inter se illis paradigmatis nonnulli discipuli plerumque iam quaerunt, quonam modo haec duo tempora usu inter se differant. Explananti rem praeceptor ipsa vocabula Latina "perfectum" et "imperfectum" auxilio sunt.

Secundo tomo, qui grammaticam cursum IV-VI continet, morphologia prope in finem perducitur, servata eadem, quae in primo tomo adhibita est, ratione, ut in ea discenda nusquam syntaxis neglegatur. Nonnulla syntactica, quae maximi sunt momenti ac praecipuas afferunt difficultates - e.g. appositio, ablativus absolutus, accusativus cum infinitivo -, dedita opera non simul in extenso suscipiuntur tractanda, sed paulatim in textum admittuntur atque assidua repetitione et exercitatione discipulis familiaria redduntur. Quaedam res in tomum tertium dilatae sunt, e.g. oratio obliqua, quae tum demum suo loco exponitur, cum discipuli cognitis omnibus sex infinitivis verborum Latinorum accusativum cum infinitivo per varia exercitia animis mentibusque suis mandaverunt.

Initio tomi tertii non modo oratio obliqua, sed etiam diversi generis enuntiata secundaria evolvuntur, observato praesertim usu coniunctivi. In exemplis nonnumquam velut nova versio praebetur rei in textu principali narratae; e.g. enuntiata secundaria vim consecutivam habentia hac serie exemplorum illustrantur, quae ad textum principalem XXXIX "Ubi moraris, Ulixes?" inscriptum accedit (p. 25):

<p><b>Tantum est desiderium tui, ut dies tarde ire videantur.</b></p> <p>Proci me <b>tam</b> acriter urgent, ut amplius iis resistere non valeam.</p> <p><b>Sunt, qui me hortentur, ut te deseram.</b></p> <p>Sed ego non <b>ea</b> sum, <b>quae</b> eorum consiliis <b>movear</b>.</p> <p>Quamquam iam multos annos abes, tamen <b>dignus es, quem</b> usque <b>expectem</b>.</p> <p>Ne tu quidem <b>tam</b> ferus esse potes, <b>quin</b> aliquando de uxore tua <b>cogites</b>.</p>	<p>Niin suuri on kaipaukseni sinua kohtaan, että päivät tuntuvat kuluvan hitaasti.</p> <p>Kosijat painostavat minua niin ankarasti, etten kauempaa jaksa heitä vastustaa.</p> <p>On sellaisia, jotka kehottavat minua hylkäämään sinut.</p> <p>Mutta minä en ole sellainen nainen, johon heidän neuvonsa tehoaisivat.</p> <p>Vaikka olet ollut poissa jo vuosikausia, olet kuitenkin sen arvoinen, että minun kannattaa yhä odottaa sinua.</p> <p>Et sinäkään voi olla niin tunteeton, ettet joskus ajattelisi vaimoasi.</p>
--	--

Fine cursus septimi ultima manus syntaxi tractandae imponitur, cum enuntiata primaria et secundaria ad mutuas relationes illustrandas hac ratione velut in ordine dignitatis collocantur (p. 47):



Cursus octavus in grammatica quoque rebus peculiaribus posterioris Latinitatis dedicatur, ut discipuli plane videant, quam arte linguae Romanae cum sermone vulgari Latino coniungantur necnon quantum lingua ecclesiastica et saecularis mediae aevi atque

recentiorum temporum Latinitas et ab antiquo usu et inter se differant. Ne medica quidem recepta nec vocabula biologica Linnaeana praetermissa sunt. Ex ephemeride Vaticana "Latinitate" excerptum est hoc fragmentum, quo discipulis ostenditur vel de hodiernis satellitibus artificiosis Latine descri posse (p. 109):

#### SATELLES ARTIFICIOSUS RUSSICUS DECIDIT IN TERRAM

*Satelles artificiosus Russicus "Cosmos 1402", die XXX mensis Augusti anno superiore in sublime emissus, fuit unum e mechanematis illis, ingeniose confectis, quae Terram circumvolant ut maria ac quidem naves ea sulcantes inspiciant et sic rei militari inserviant. Secum ferebat quadraginta chiliogrammata uranii, quod instrumento detectorio aliisque machinamentis suppeditaret alimenta.*

*Accidit tamen ut hic satelles, qui in altitudine ducentorum fere chiliometrorum circumferebatur, damno afflicteretur ideoque sensim descenderet. Trepidaverunt homines per orbem terrarum, perniciosam contaminationem, quae inde esset oritura, pertimescentes. Quapropter ea sunt provido consilio apparatus, quibus tantum praecaveretur incommodum.*

In cursu nono nihil iam novi afferitur, sed discipulis ad examen maturitatis se parantibus repetendi causa dosis ferrea variorum exercitiorum et ad morphologiam et ad syntaxin pertinentium praebetur.

In exercitiis componendis id praecipue propositum est, ut variatione taedium discendi vitaretur. Cum in pristinis libris Latinis nulla fere nisi textus ex Fennico in Latinum vel ex Latino in Fennicum convertendi exercitia esse soleant, seriem AD FONTES legenti profecto multiplex varietas exercitiorum diversi generis occurrit. Quae omnia hic tractare cum longum sit, satis est duo ex iis breviter attingere. Saepe discipulis textus Latinus praebetur, in quo nonnulla vocabula manca relicta sunt, ut ratione et notitia grammaticae usi ea compleant. Inter numeralla peculiaris generis pensum est: discipuli casellulas vacuas numeris Romanis complere iubentur atque ita dictum quoddam pervulgatum inde eruere (vide tabulam infra positam, quae ex tomo secundo, p. 21, excerpta est).

Quibus in exercitiis iuxta textum Latinum translatio Fennica posita est, ea plerumque huc spectant, ut discipuli

quinque	=	<input type="text"/>
		E
		N
unus	=	<input type="text"/>
quinque	=	<input type="text"/>
unus	=	<input type="text"/>
quingenti	=	<input type="text"/>
unus	=	<input type="text"/>
quinque	=	<input type="text"/>
unus	=	<input type="text"/>
centum	=	<input type="text"/>
unus	=	<input type="text"/>

elocutiones Latinas et Fennicas inter se comparare assuescant. Ita e.g. ad commentationem de satellitibus artificiosis supra positam pensum accedit, in quo discipuli respondere debent, quo modo Latine dicatur *neuvosatosatellititi* (satelles artificiosus Russicus), *avaruus* (sublime), *kiertiää Maata* (Terram circumvolare), *40 kg uraania* (quadraginta chiliogrammata uranii), *tutka* (instrumentum detectorium) etc.

Etiam picturae passim collocatae id habent propositi, ut gram-

matica Latina in animis discipulorum vivere incipiat ac nonnumquam fortasse risum quoque cum hilaritate excitet.

Restat, ut de fundamentis rei metricae pauca dicam. Haec in grammatica non sunt praeterita, quia in textibus et principalibus et extensivis poesis Latina

haud modicum occupat locum. Quare iam in secundo tomo inter res morphologicas et syntacticas ad pronuntiatum Latinum reditur ac syllabis longis brevibusque denuo tractatis schemata metrorum saepissime occurrentium exponuntur. In tertio tomo stricte attinguntur etiam leges metricae carminum medio aevo et recentioribus temporibus compositorum, inter quae e.g. *Piae Cantiones* hodie quoque exempla sunt vivae Latinitatis Fennicae.

Phonocasetae, quarum supra mentionem feci, in discipulis carmina recitare docendis maximo sunt usui.


In versibus Latinis haud raro aliquid inest, quod animos humanos supra molestias vitae cotidianae extollit. Itaque auctores seriei AD FONTES, ut discipulis iucundam memoriam annorum scholasticorum relinquerent, tomum tertium grammaticae hoc versiculo concluderunt (p. 147):

LUCIDA NUNC VOBIS ABITURIS SIDERA  
SUNTO !

Erkki Palmén

Lector linguae Latinae

Universitatis Jyväskyläensis sive Granvicensis.



Beati illi, qui abituri sunt!

(tomus II, p. 83)



Saeculis p. Chr. n. XV et XVI lingua Latina medio aevo »corrupta» efficaciter purgari coepta est.


(tomus III, p. 96)

Propter nimiam copiam materiae, **RUDENTIS** delineationes hoc in numero non eduntur. Rudentem lectores in proximo *Melissae* numero rursus invenient.



# EX ORBE LATINO

## DE CIRCULI LUPIANI TERTIO ANNIVERSARIO



H. e. m.

U. C.

U. F.

Verina (Werne) non longe sita est ab urbe Dortmund. Ibi viget circulus Latinus quem "circulum Lupianum" vocant. Inga Pessarra, Mechtilde Lemke et Mario Alexa strenue moderantibus, huius novi circuli fama cito crevit. Cum tertium anniversarium, simul ac Ludos Lupianos, modo per biduum celebrarent, invitati non invitati primam illarum solemnitatum partem participavimus.

Die 14<sup>o</sup> m. Maii, Verinam sub sole postmeridiano advecti, in curia vetere obstupefacti turbam comperimus Romanorum puerorum, togis tunicisque vestitorum, qui spectaculi sui ultimos apparatus curabant. Nobis scalas ascendentibus obviam veniebant cives Romani, milites, gladiatores, servi... omnes duodecim vel tredecim annos nati.

Municipii potestates magnum oecum eis praebeuerant: mira multitudine brevi tempore plenus fuit. Nam, cum complurium scholarum discipuli spectacula Latina pro ludis comparavissent, multi parentes amicique allecti erant ad Ludos Lupianos adeundos.

Solemnitas autem non deerat. Etenim burgimager ipse, Dominus Lülf, orationem saluatoriam habuit, quam Marius Alexa subinde in Latinum vertebat. Modum admiremus quo illi Latinitatis vivae propugnatores sibi allegerunt et magnam famam et potestatum sympathiam: tot discipuli aliquid Latini spectatoribus proponebant ut burgimagister incepto libenter faverit.

Primum discipuli Dominae Kassner, ex urbe Borghorst, facinora cuiusdam Antonii, servi Vestfalici, narraverunt. Quod spectaculum occasio fuit vitae Romanae describendae: nam schola circensesque agebantur. Multum risimus, praesertim cum panthera christianum comedere noluit - musica notissima "pantherae roseae" interea audiebatur - vel cum valedudinarii ad gladiatorem vulneratum accurrerunt, bucinis "pin-pon" hululantibus!

Postea fabula Pyrami et Thisbes a discipulis Dominae Thoboell, ex urbe Solingen, optime acta est.

Cum Pyramus loquebatur, puerorum chorus verba eius iterum recitabat, et similiter chorus puellarum cum Thisbe loquebatur, ita ut hic sermo videretur bona exercitatio de verbis temporalibus.

Inga Pessarra etque discipuli (ex urbe Kamen) multos cantus Latinos denique cecinerunt. Admiramur quod hi omnes pueri textus Latinos, non semper faciles, recitaverunt cecineruntve ex memoria, sine ullo errore. Quod certe est signum magni enthusiasmi.

Ad cenam communem convenerunt sodales uniusque oriundi, i.e. e diversis Germaniae regionibus, e Batavia, e Belgio. Inter alios aderat Professor Alphonsus Weische, qui, quamvis philologiam classicam doceat in Universitate Monasteriensi (v. Münster), Latinitatem Vivam exercere non dubitat sodalisque est circuli Lupiani. Hac occasione data, audivimus universitatem Monasteriensem maximum habere classicorum studentium numerum in tota Germania. Etiam aderat Dr Theodericus Krüger, qui unum e primis nostrae aetatis Germanicis circulis moderatur.

*Jam huiusmodi successum habere...*

Ad concludendum, sodalibus circuli Lupiani toto pectore gratulamur quod post tres annos in Latinitate provehenda iam bene successerunt. Talis successus sine dubio pendet ab entusiasmo - quae indoles eis certe non deest, ut scripsit Professor Weische ipse:

*Circulus noster Lupianus adfert  
Gaudium nobis Verinaeque laudem:  
Canticis vivit sonituque puro  
Lingua Latina.*



Tantum gaudium nobis attulit spectaculum vigentis circuli Lupiani ut nobis in mentem veniret omnes circulos Latinos nobis notos interrogare de suis originibus, moderatoribus... et fortasse difficultatibus. De responsis referemus in quibusdam sequentibus Melissa fasciculis; primum sodales Saravipontani (Saarbrücken) vobis de circulo suo Latino narrant, ut infra legere potestis.

Francisca DERAEDT.

# DE LATINIS SESSIUNCULIS SARAVIPONTANIS HEBDOMADALIBUS

Saraviponti iam inde a mense Octobri anni 1975<sup>1</sup> intra spatia studiorum semestria omni septimanâ (nisi inciderit dies festus) per binas fere horas sessiuncula fit Latina. Ex quo tempore cauponae compluribus mutatae sunt, quo convenire solemus, ipseque dies conventiunculae hebdomadalibus. Nunc autem iam ex compluribus annis eadem sessiunculae hebdomadales in cauponâ Saravipontanâ "Cloccae Iohanneae" (numeri centesimi vicesimi secundi) iuxta stratam Mogontiacensem sitâ haberi solent die lunae ab hora undevicesima usque ad horam vicesimam primam. Numerus autem participum variatur inter aliquos septem et aliquos duodecim. Omnes autem itinerantes iidemque latinizantes sciant se semper ad easdem sessiunculas invitatos esse. Sed thema speciale non proponitur tractandum vel pertractandum,

sed propositum est, ut singuli, quantum fieri posset, in colloquiis sive communibus sive particularibus linguâ Latinâ studerent semper uti.

Agitur autem de rebus gestis, quae sunt in ore atque sermone omnium, de novis nuntiis radiophonice, de rebus politicis, de emissionibus quibusdam radiotelevisivis, de quibusdam studiorum Latinorum momentis et elementis, de memorabilibus inventis litterariis, de necessitatibus quibusdam Latinitatis, de gestis publicis et rebus magis privatis et domesticis, etiam de rebus universitariis, de studiorum peculiaritatibus et particularitatibus, recentiore tempore iterum iterumque quaestiones proponuntur tractandae, quibus agitur de rebus theologice atque de fine ultimo vitae vere humanae.

Porro plures participes adulti sunt nonnullique iam senes, pauciores iuvenes, sed adulescentes vix ulli. Unus adesse solet fideliter Iugoslavus, recens etiam medica nondum triginta annos nata adesse solet. Itaque aliquae quattuor mulieres adesse solent, ceteri sunt viri. Tamen vehementissime dolendum est, quod nemo ex Saraviae magistris linguae Latinae allici potest atque vix quisquam ex alumnis philologiae Latinae studiosis. Complures quidem ex modo nominatis Latinitati vivae videntur aliquatenus favere, sed haec colloquia nostra participare nolunt. Etiam dolendum est, quod quidam participes seniores ceteroquin vere affabiles surdastris sunt. Itaque vix fieri potest, ut de quaestionibus quibusdam principalioribus propositis vel relatis communiter inter nos consultemus cunctis auscultantibus suaque sensa singillatim per vices in medium libere proferentibus. Tamen libertas sermonis et iucunditas Latinitatis plerisque videtur esse causa, cur libenter iterum iterumque adsint inter pocula (et etiam escaria) latinizantes.



Dr C. EICHENSEER - Prof. I.P. BAUER inter sessionem Latinam

Saraviponti 27.5.1988.  
C. EICHENSEER

---

## DE XXII CERTAMINE CATULLIANO

Nobis gaudio est nuntiare nostrum amicum, iuvenem professorem **Theodericum SACRE**, pretium modo abstulisse inter Certamen Catullianum. Quod poesis certamen ab Academia Catulliana Veronae institui solet. Theoderico Sacré valde gratulamur congaudemusque quod pretio c.n. CATULLUM AURATUM donatus est.

---

## LECTORES AD NOS SCRIBUNT

**Melissae cooperatibus Marcus Decreton s.p.d.**

Nuperrimam foliam Melissae bene accepti maximoque cum gaudio evolvi. Praesertim ad verba prima oculos statim converti. Spes nova, verba tam mirabilia! Ea quidem spes nos omnes impellit et incitat ut Latinitati vivae faveamus et operam nostram commodemus ad Europaeos ita artius committendos. Ego

*crucifera*

quoque verba a Vidone Angelino dicta ipse reddam, confidens condicionem Medii Aevi iterum vigere et linguam Latinam iterum omnes Europaeos "con-iungere et stringere in unitatem linguisticam et culturalem".

Pro verbis his et hac spe renovanda gratias plurimas vobis ago. (...)

Valete.

Dabam in urbe Geel die decimo m. Maii a° 1988°.

Legi, vere oblectatus, scriptum doctissimi professoris Theoderici Sacré ("Melissa" mensis Maii a° 1988°, n° 24°), cui titulus "De Arturo Rimbaldio versificatore latino". Unum tantummodo molestiolam quandam in me excitavit, nempe "latinizatio" cognominum quorundam poetarum francogallorum, ut exempli gratia, "Rimbaldius" (Rimbaud), "Baldelarius" (Baudelaire), "Jauresius" (Jaurès), "Mussetius" (de Musset).

Ut iam adnotavi in meo scriptulo, cui titulus "Kant vel Kantius?" ("Melissa" mensis Maii a° 1987°, n° 18°), si subtilibus auribus Humanistarum dissonabat intrusio, in orationem latinam, alicuius vocis barbarae, hoc est minime absonum nostris auribus hominum viventium saeculo vicesimo, qui quotidie

circumfundimur, legentes Diurna et spectantes scrinia televisifica, nominibus diversissimarum linguarum.

Hodie reapse existit quaedam liberalis et ampla "hospitalitas linguistica", qua censeo debere ditari nostrum quoque latinum vivum. Cognomina ergo cuiuslibet linguae necesse est, mea quidem sententia, maneant "intangibilia", ne ulla oriatur incertitudo de viris de quibus agitur, neve fingantur vocabula interdum dissona, interdum inepta, interdum comica.

Quomodo autem haec cognomina vel poetarum vel politicorum vel physicorum... possint subici declinationi, exposui singillatim in meo scriptulo. De hac autem quaestione, libenter audiam opiniones eorum qui, praediti uberrimâ scientiâ latinitatatis, scribunt in nostris Periodicis latinis, quorum scripta ego et intente lego et admiror.

## DE NOVIS LIBRIS

### Auctorum Francogallorum opera a Genovefa IMME in Latinum versa.


Francogallica quaedam domus editoria scholarum discipulis textus edit praeclarorum Francogallorum imaginibus illustratos. Huius collectionis aliquot fabulae in Latinum versae sunt a Genovefa IMME quae scriptores Alfonso Daudet et Gaium a Maupassant elegit. Qui electus aptissimus videtur ad discipulos allicendos, cum fabulae vel ad naturae amoenitatem pertineant vel ad narratiunculas iocosas. Itaque e "Pistrinariis epistulis" Alfonsi Daudet proponuntur hae: "Domicilii instructio", "Stellae", "Summi pontificis mula", "Cucugnanen-

stum curio"; etiam fabula Gai a Maupassant c.t. "Quid venale fuerit" legi potest. Qui textus, modo optimo vivoque in Latinum versi, amoenis taeniis depictis illustrantur. Sed Genovefa IMME non oblita est hos libellos praecipue pro scholis edi: qua de causa fabulae tantum in paginis dextris imprimuntur, ita ut paginae sinistrae discipulorum adnotationibus reserventur. In his enim possunt vocabularium et res grammaticas notare quae ad textum ipsum pertinent. Infra paginas etiam Francogallice explicantur aliqua verba difficillora.

Hi iucundi libelli apud domum editoriam c.n. TARMEYE (F-43520 Mazet-Saint-Voy) venundantur.

Francisca DERAEDT

### Gai a Maupassant "Quid venale fuerit"





**M. ABSIL, Verborum delectus. Vocabulaire latin, Bruxelles, De Boeck, 1987.**

Discipulis studentibusque qui linguam Latinam discunt hoc novum lexicon est adiumento. Auctor, qui in Universitate Namurcensi Nostrae Dominae Pacis linguam Latinam tirones docet, eorum difficultates optime novit. Nam, ut in prooemio - Francogallice conscripto - ipse scribit: "Si quis linguam discere cupit, patet numerum verborum satis magnum ediscendum esse. Studentes autem sonos verbaque nova eo difficilius memoria tenent quo pauciores horae institutioni tribuuntur." Qua de causa Michael ABSIL 2245 verba Latina elegit ex usitatissimis, quibus

studentes textus antiquos quam facillime legere possint. Quae verba ordine alphabetico, facilitatis causa, proponuntur; eorum natura, translatio Francogallica, proprietates frequentiaque singillatim indicantur.

Libellus etiam subiungitur in quo proponuntur, non solum verborum partes principales - quas Francogallice "temps primitifs" nominamus -, sed etiam index quo verba multo facilius memoria teneri possunt.

Utinam his novis instrumentis institutio linguae Latinae studentibus et facillior et amoenior fiat!

Francisca DERAEDT

DECEM <i>Déterminant numéral</i>	Dix	Indéclinable	4
DECERNO, decernere <i>Verbe 3</i>	1. Juger, décider 2. Voter	MN 259	4
DECET, decere <i>Verbe 2</i>	Il convient, il sied	Impersonnel D 194,2-238,I MN 216-252	4

**Prosateurs latins en France au XVI<sup>e</sup> Siècle, Paris, Presses de l'Université de Paris Sorbonne, 1987.**

Francogallia XVI saeculi compitum est diversarum regionum, traditionum, aetatum. Talibus in condicionibus lingua communicationis primum eligenda erat: hoc libro monstratur linguam Latinam adhibitam esse. Iacobus Lefèvre d'Étaples, Carolus de Bovelles, Vellelmus Budé, Stephanus Dolet, Iulius-Caesar Scaliger et alii grammatici, historici, philologi, medici, iuris periti opera Latina scripserunt quorum excerpta nobis hodie proponuntur.

Huius crassi libri - nam 754 paginae numerantur - lectores gaudebunt quod textus inventient plurimorum XVI saeculi scriptorum notissimorum vel minus notorum. Auctores, Iacobo Chomarat ducente, et textus Latinos et translationem Francogallicam proponunt. Etiam vitae operaque illorum scriptorum nobis explicantur.

Ad hunc pulcherrimum librum illustrandum pro vobis textum elegi a Ludovico Leroy a<sup>o</sup> 1540<sup>o</sup> conscriptum quo vitam illustrissimi humanistae Vellelmi Budaei narrat (*Prosateurs latins*, p. 478 sqq.)

Francisca DERAEDT

"DE MORBO BUDAEI. Postremo res eo rediit, dum literarum magis studiosus quam lucis cupidus esse pergat, dum hoc sublato bono vitam nihili putat, in gravem et diuturnum morbum est prolapsus, quo annos plus viginti ita afflictatus est, ut omnis prope hilaritas e fronte, alacritas ex animo, festivitas in occurso, urbanitas et comitas in convictu extimeretur, ingravescens quoque in dies literarum amor infringetur, ne vestigium quidem eius nec simulacrum, sed quaedam effigies spirantis mortui appareret. Morbus erat eiusmodi, ingens dolor cum tumore

circum fauces fiebat, et iugulum tumultuose appetens tantum terrorem interdum noctu iniiciebat, ut postridie mane miraretur se incolumem, spiritum recordatus interclusum, et subinde restitutum. Uxor edocta, advenientem morbum et crescentem intelligens, virum varie versando, numerosque feriendo levabat dolorem. Verum inde pallor multus in vultu, raritas pilorum in capite, macies et stupor in corpore, in omnibusque artibus debilitas summa sequebatur. Quae cum medicis stupentibus persaepe narraret, fidem tanti mali facere non poterat, cuius ipsi exemplum non meminissent: idque alternis prope mensibus recurrebat. Accedebat ad haec quotidiana capitis gravedo: quae illi commentanti aut legenti quidpiam erat mirum in modum infesta. Et quoniam ex humoribus gravantibus caput hic morbus effici creditur: si exitum in capitis vertice haberent, per quem evaporarent, magnam morbi allevationem medici pollicebantur. Quare consilium dederunt, ut candenti ferro sineret cutem densam, quae caput obtegit, perforari. Esse meatus in calva, per quos sursum exirent vapores. Id factum est, sicut praecerperant, magno cum cruciatu. At nihil momenti habuit curatio tam anceps et difficilis. Quippe ubi in cerebrum ascenderant halitus spissi et graves, insistebant, finemque faciebant se altius efferendi: simul ibi concrecentes, deinceps liquescebant, et defluentes suoapte nutu in frontem, in tempora, in oculos ferebantur, ut saepenumero in media lectione obdormisceret, et invittissimus somno consopiretur. Verum nihil horum malorum, quanquam peracerba erant, eum labefactavit, ut erat animo invicto, et reluctantante semper difficultatibus. Quinimo quod magis mirandum censeo, omnia ipsius scripta intra id tempus, quo tam graviter periculoseque aegrotabat, fere instituta, orsa et edita fuerunt."





# UBI CONDISCATUR LATINE LOQUI

## SEMINARIA LATINA

Dr P.Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur tria seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

12/8 - 19/8/1988, Vestendae in BELGICA

### **ATTENDITE MUTATIONEM !**

**De seminario Vestendensi: nuntiandum est seminarium a<sup>1</sup> 1988<sup>1</sup> habitum iri, non iam a Saturni die in Saturni diem, sed a Veneris die 12<sup>o</sup> in Veneris diem 19<sup>um</sup> m. Augusti, iussu aedium "Zon en Zee" rectorum.**

(ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvo constant.

Invitantur:

- magistrae magistrique linguam Latinam docentes. Facile Latine loqui addiscere possunt, id quod plerisque maximo gaudio et utilitati est. Ceteris optimo exemplo erunt.

- Studiorum universitatum alumni vel etiam scholarum discipuli linguae Latinae rudimentis iam imbuti. Qui novum mirumque suae scientiae usum invenient.

- Omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE  
Av. de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles  
Tel. 02/7350408

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-Deutschland. Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis deversoriis vel hospitiiis.

-24/7 - 30/7/1988, Morsaci (Morschach) in HELVE-

TIA, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Regionum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebet. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH  
Aeschistr. 6  
CH- 3110 Münsingen  
Tel. 031/920823

- 8/8 - 13/8/1987, Bottropii (Bottrop), in urbe Rhenaniae Vestfalicae, quod seminarium fit in domo commodissima et periucunda. Ad quod participandum, interrogandus est:

Rochus Habitzky  
Albertus-Magnus-Strasse, 7  
D-4100 DUISBURG 25  
Tel. 0203/781430

## FERIAE LATINAE

-22/8 - 29/8/1988,

P. Suitbertus a S. Joanne a Cruce Feras Latinas moderabitur **in PROVINCIA.**

In Seminarii Aedibus Diocesis Nicensis quae inscribuntur:

La Maison du Séminaire  
Boulevard Franck Pilatte, 29  
F-06300 NICE

Schedae inscriptionis rogandae sunt a:

Clément DESESSARD  
Résidence des Collines, C9  
Rue Léo Brun  
F-06210 MANDELIEU

## SCHOLAE FRISINGENSES

- 25/7 - 29/7/88

Sunt eae scholae eis maxime destinatae, qui Latine loqui discere aut in eo aliquantum proficere volunt. **Nemo enim fere ignorat, quam haec ars linguae exercendae studiis humanioribus et servandis et augendis prosit; nam litterae Latinae, cum libris inclusae manent, videntur sordere multis; quae cum vivo sermone celebrantur, mirum in modum efflorescunt et revirescunt.** Nec tamen Cicerones aut Vergilios perfectos quaerimus: ei ipsi Frisingam veniant, qui ore balbo vix unum verbum Latinum proferre se posse credunt! Hos, si modo "salve" et "vale" apte dicere didicerunt, ut bono animo sint hortamur. Nam e minimis saepe maximarum rerum initia creverunt. Nec nunc id tam curamus, ut emendatissime et copiosissime loquamur, quam ut suaviter et iucunde Latinis vocibus assuescamus. Quam ob causam etiam pueris puellisque parvulis, ut videtis, suam scholam reservavimus. Omnibus enim patere voluimus Scholas Frisingenses.

Ceterum scholarchae, i.e. magistri doctissimi, quorum nonnulli e terris peregrinis venient, de omni genere rerum et litterarum vobiscum disputabunt. Nec solum humaniores quae dicuntur artes locum sibi vindicant (ut theologia, grammatica, philosophia, historia), sed medicus quoque et mathematicus suas doctrinas profitebuntur; nec deerit qui novissimam doceat artem computatoriam. Quid autem de lenioribus Musis dicam? Ut olim Ludis Latinis factum est, nunc quoque et cantare et saltare more orientali (sive ventrali) licebit. Quis umquam hoc saeculo vidit tantam varietatem rerum Latinarum!

Speramus enim futurum esse, ut etiam scholarchae inter se scholarum quoddam commercium exerceant i.e. invicem et discant et doceant. Sic vetus illa optabilisque maxime doctorum discipulorumque "universitas" quae dicta est feliciter restituetur. Scholae agentur in Gymnasio:

Domgymnasium  
Am Domberg  
D-8050 FREISING

Schedae inscriptionis petendae sunt a:

Prof. Dr. Wilfried Stroh  
Universität, Institut für Klass. Philologie  
Gesschwister-Scholl-Platz, 1  
D-8000 MÜNCHEN 22.